M. I II. II

79

n.° 279.

Autografo del Porta, con-
-frontato colle Lettere che
esistono in casa del Duca
Altassimo

PORTA (GIOVANNI BATTISTA) 1536?–1615.

7618. In Latin, on paper: written about 1600 in Italy by G. B. Porta: $10\frac{1}{4} \times 7\frac{3}{4}$ in., 34 leaves: with drawings (see below): in contemporary limp vellum binding.

'Joannis Baptistae Portae, Neapolitani, de ea Naturalis Physiognomiae parte quę ad manuum lineas spectat libri duo' (foll. 5[v], 22), with preface (*beg.* 'In omni studiorum meorum'); text *beg.* 'Humani corporis partium, quo nihil divinorum operum est admirabilius', and is illustrated by pen and ink drawings of hands, talons and paws. This, as a pencil-note on the inside of the front cover testifies, is in the autograph of the author, of whom an engraved portrait is inserted as fol. 1, and is the Latin original of an Italian translation published at Naples in 1677 under the title 'Della Chirofisionomia'.

'279', '296' and 'M. vii. 11' in unknown libraries. Bought as lot 105 at Sotheby's sale, 1 March, 1917.

see #8351

de Ricci, "Census" says this ms. is "apparently incorrect" See note inside at end (back cover) W.W.F.

7618



JEAN BAPTISTE PORTA.



JEAN BAPTISTE PORTA Napolitain, poussé par une inclination puissante à la recherche des secrets de la Nature, & suivant les traces d'Arnoud de Villeneufve, & de Cardan, a découvert par la subtilité de son esprit plusieurs operations des corps elementaires, auparavant inconnuës, & les a enseignées en ses Livres d'une maniere qui donne autant de plaisir que d'étonnement. Le desir de mettre cette Science en sa perfection le porta à dresser en la ville de Naples une Academie, qu'il nomma, *Des Secrets* : dans laquelle personne ne pouvoit entrer qu'il n'y apportast quelque secret nouveau

1313 70

parut entre ceux-cy comme un des plus intelligens, & des plus capables d'en juger : mais Clavius luy en donna des raisons si pertinentes, que ce docte Critique cessa de combatre ses opinions ; declarant mesme qu'il s'estimoit glorieux de ceder à un homme de cette reputation. Il fut aysé aprés cela à Clavius de repondre aux objections des autres, & de rendre vains les efforts qu'ils faisoient contre une constitution si bien établie, par une explication judicieuse qu'il en donna au Public : en quoy il ne se rendit pas moins recommandable que dans les travaux qu'il avoit entrepris pour cette Reforme.

Ces travaux ne l'occuperent point tellement qu'il ne trouvast encore assez de temps pour vaquer à la composition de ses Commentaires sur Euclide, & sur la Sphere du Mathematicien Jean de Sacro Bosco, à ses Livres du Triangle rectiline, du Triangle spherique, de la Geometrie, de l'Arithmetique, des Astrolabes, & à quelques autres Traittez de Mathematique ; compris tous ensemble en cinq volumes, qui renferment en leur contenu les lumieres de ce grand esprit. Il parvint à une vieillesse heureuse, & exempte de maladies ; ou s'il en recevoit quelques atteintes, il les supportoit si facilement, qu'il sembloit estre insensible aux accidens facheux qui combattent toute nostre vie, & principalement nos dernieres années. Il eut encore cette satisfaction avant mourir, de voir ses Ecrits admirez des plus doctes Mathematiciens de son siecle : mais sa grande renommée ne fut point capable d'enfler son cœur d'aucune vanité : s'il donnoit de l'étonnement par sa haute erudition ; il n'en donnoit pas moins par sa profonde modestie. La Pieté fut pendant toute sa vie la compagne inseparable de ses actions, & la fin principale de ses desseins. Aussi aprés avoir tousiours servy d'un exemple de vertus à ceux de sa Compagnie, il quitta le sejour de la terre le sixiéme de Fevrier de l'an mille six cens douze, pour voir de plus prés les beautez de l'Empirée, qu'il avoit si souvent contemplées icy bas de l'esprit.

Clavius é terris cùm jam vix Sydera nosset ;
Da Deus hæc propiùs cernere, dixit : obit.

Ces deux Vers, qui sont du Pere Bernard Bahusius, aussi Jesuite, ont esté ainsi traduits en François.

Ce Pere par son Art se piquoit de connoistre
Les Astres de bien loin, logé dans ces bas lieux :
Que je monte plus haut (dit-il) mon Dieu, mon Maistre,
Pour les voir de plus prés ! & prompt il vole aux Cieux.

JEAN

IOAN. BAPTISTÆ PORTÆ NEAPOLITANI

De ea Naturalis Physiognomoniæ parte, quę ad manuum lineas spectat

LIBRI DVO

Quibus eadem ab impuris uanisq; obseruationibus, quę hucusq; ab Empiricis conspurcata remansit, uindicatur naturalibusq; solummodo patefactis coniecturis, inania, ridicula'q; impostorum commenta reijciuntur, ac eliminantur.

PROOEMIUM ad Lectorem.

In omni studiorum meorum et vitę cursu, in libris antiquorum, recentiorum'q(ue) scriptorum, quos magnopere observavi, et qui nunq̃ interituram posteritati scientiarum memoriam propagarunt, veritatis minimum, mendacij, ornatus, et magniloquentię plurimũ comperisse memini. Immò multa reppeti, quę non solum veritatis paululum haberent, sed à veritate longè alienissima essent. Sic mihi postea consultũ statui, ut cum volumen aliquod studendum mihi proponerem, imaginarer scriptorem, peregrinum velut esse mercatorem, qui vilissimas suas merces mendacijs, fictisq(ue) verbis, quasi magnificas venditare satageret, unde res perpendẽdo, ruminando, experiendo'q(ue), non nisi semper ea eligebam, quę vera esse experientia me certiorem redderet. Cum igitur ad eam naturalis Physiognomonię partis, quę ad manuum lineas spectat, de qua in pręsentiarum sermo erit, in meę iuventutis initio me converterem, cognovi hanc artem iam collabi cępisse, immò collapsam, et pessum ivisse, nam si quę erant doctorũ volumina perierant, quę extabant, non nisi imperitorum circulatorũ scripta erant, ut Tricassi, Andreę corui, qui impostores, et circumforanei erant, Bartholomei coclitis, et si ab aliquibus laudatur, in eis physiognomonia tot verba, quot errata sunt, et barbitonsor erat, et quę scripserant, tam diversis admodum interse discrepantibus opinionibus plerumq(ue) longè abibant, ut in eandem sententiam nullo pacto, nullisq(ue)

rationibus revocari potuerint, et si in aliquibus convenirent, tamen omnia, experientijs et rationibus non consona erant, ut mihi in tanto opinionum dissidio, in tanto rerum discrimine nacillanti, et interdum humana caligine caecutienti, ab inceptis desidere propositum fuerit, et totam artem, aut penitus uanam, aut tot superstitionibus inuolutam, ac nebulonum deliramentis putauerim, ut merito fuerint eius scripta exosa, et probibita. sed cum Aristoteles Philosophorum princeps appellatus, in suis de animalium historia libris memoriae mandauerit, hanc artem naturalis fundamenti expertem non esse his uerbis. Pars interior manus, uola dicitur, carnosa est, et scissuris lineae indicibus distincta, longioris scilicet uitae singulis, aut binis ductis per totam, breuioris binis, quae non longitudinem totam designent scissurae manus. Et in 10a. scissione problematum ita philosophatur. Cur qui manus caesuram per totam obtinent palmam, uiuere diutius possunt. An quoniam minus uiuere possunt, qui carent articulis, incompactique sunt, quale genus omne aquatile est, quod si quae articulata non sunt, uitam breuiorem agere solent, constat contra se habere, quae articulata existant, minus profecto generis illa etiam sunt, quae cum sua natura omni articulatione careant, tamen articulata nonnunquam, quoad maxime licet, consistunt. Manus autem pars interior, penitus articulatione uacat, ex quibus collegi non esse artem omnino uanam. Quamobrem animo uolutare coepi, non futurum abre, si uera à falsis, et naturale à superstitioso, segregarem, et uera, si quae essent, physica fundamenta inuestigarem: non enim parum utilitatis studiosis

ita allaturus videbar, ut quid veritatis ars contineret, pateferet. Et
quia semper nitimur in vetitū, cupimusq negata, ut optatam artem
ab superstitionibus, et vanitatibus inspurcatam mundarem, et solum ea,
quæ rationi consona experientijs comprobata essent, in medium afferre,
ita curiositati, sine conscientiæ læsione occurrerem studui. Sed unde
esset initiū sumendū, non tam cito percepi. Verum cum anxie, et saepe
cogitarem naturalem causam, ex qua eiusmodi discrimina proveni-
rent, et cum diu animus in his distorqueretur, tandem consideravi
summum verum opificem et creatorem, in cunctis suis operibus
eandem normam et ordinem semper servasse, inde ad easdem
rationes conversi, quas in humana, cælesti, et plantarum Physio-
gnomia assignavimus, aperte vidimus hanc tractationē nil aliud
esse, quam quandam humanæ physiognomiæ partem, illiq sub-
alternatam, ita ut omnia hæc potuissent secundo libro tractari,
post 29 caput. Si eo tempore nobis ita patuissent, cum hic nil novi
afferatur, quod illius fundamentis non innitatur, quæ ne iterū
repetamus, omittemus. Cum propter multorum hominū diversæ
naturæ, varijq temperamenti, et illorum praesertim, quibus nota-
biles casus evenere, manuum, pedumq dispositiones observare
cœpi, qua in re mei voti compotem me facilius evasurū credidi,
si illorum quoque meminerer, qui cum malas noluerint propensiones
compescere, et depravatam sensuū naturam, non rationem secuti,
pœnas suæ incorreptæ nequitiæ luere. Inquit enim Divus Thomas
in p.ª secundæ, ex complexione naturali plures hominum sequuntur
passiones, quibus soli sapientes resistunt, et ideo in pluribus verifi-

catur, quę pronuntiantur de actionibus hominum. Ut ergo maior supradictorum hominum copia suppeditaret, cum neapolitano carnifice pacti sumus, qui tunc Antonellus Cuozza uocabatur, ut cum in foro boario suspensos à furcis deponeret, et ad Riccardum pontem deferret, (locus est à Neapoli mille pas. longe distans, quo misselli pendent, ad impiorum illac transeuntium terrorem, usquedum marcescentes contabescant) mihi deportationis horam significaret, me'q ad eum locum conferens, manuu, et pedum dispositiones rimabar, eas'q stylo papyro designabam, aut cera, et gypso intertexta lineamenta imprimebam, ut nocte, cum domi essem, cum alijs conferrem, et collatis signis ueritatem inuestigarem, eandem semper operam nauando, donec signa omnia, quę [illegible]tius suspendia minarentur, excernerem, et mihimet ipsi satisfacerem. Mox, ut awoci clade, et uulneribus interituros cognoscerem, cum cathedralis ecclesię diaconis conuenimus (quorum munus erat in sacello sanctę Restitutę uirginis dicato, interfectos et sine suorum peccatorum expiatione mortuos sepulturę demandare) ut me de eorum morte domi certiorem redderent, ut ad sacellum illud me conferrem, quorum itidem manuu, et pedum constitutionibus inspectis, uulnerum'q locis, numero, et qualitate delineatis, eas domi cum alijs conferrem, ex quorum consultu, quę ualidiores, quę uero debiliores ad demonstrandum fuissent, cognoscerem. Hec minus laboriosa mihi fuit cura, publicos fori carceres perlustrare, ubi semper ingens facinorosorum turba concluditur, latronum, parricidarum, grassatorum uiarum, et aliorum eiusmodi farinę hominum, et eorum manus inspicere

liceret

liceret, deinde animalium pedes, manusq contemplando, eorum figu-
ras cum humanis contulimus non sine naturalibus rationibus,
eademq methodo, qua in Physiognomonia usi sumus, et ita
tandem inexhaustis laboribus, diuturnis experientijs, multis
obnixe impensis, quicquid ueritatis in his contineretur, ex mul-
tiplici obseruatione summatim hauserim, in hoc libro compi-
larj, quem et si ad non perfectam, saltem ad minus imper-
fectam descriptionem contulimus, et ut aliquid maioris pristine
scientie contulisse uideremur, humanarũ manuum, et anima-
lium exquisitissimas picturas ita sermonis intertextui inseruimus,
et ob oculos collocauimus, ut nemo sit in his parum uersatus,
qui ea maxime intelligentie opitulary cognouerit. Quesso
lectores boni consulant, in difficillimus rebus, queq magna sunt,
et fortasse opus nostrum ad infantiam perductum, ab aliquo
doctiore uiro, felicioribus auspicijs ad perfectam ętatẽ adole-
scendo deducetur.

IOAN. BAPT. PORTÆ NEAPOL.

De ea naturalis Physiognomonię parte, quę ad manus spectat

LIBER PRIMVS.

De manuum dignitate. Cap. 1.

Humani corporis partium, quo nihil divinorum operum est admirabilius consideratuque, manus præstantia et habitudine, et ob pręclaras suas functiones supremum locum sortitę sunt. ex quo Anaxagoras anti-quissimus ille Philosophus, et Aristoteles de animalium historia libro traditum est, sapientissimum hominem videri dixit, quod manibus pręditus esset. sed ab eodem Philosopho redarguitur. Nec enim, quia manus habet, inquit, homo animal est sapientissimum, sed quia Natura eum ratione donavit, ut artificii solertia idcirco talia naturaliter sortitus organa, quod etiam à Plutarcho in animalibus repetitum scimus. Nec manus unum instrumentum sunt, sed multa, velut primarium instrumentum ante omnia instrumenta, vel organum organorum. Thucidides intellectus expertem esse dixit, qui actiones, quas in manibus esse cognoscit, fore existimabit in tota corporis compage. Galenus 3° de usu partium. Manus solus animalium omnium homo habuit, organum sapienti animali convenientius, et magistram esse corporis partem, et ob manus omnibus animalibus imperat. Nec est tam clari, et exquisiti ingenii vir, qui manus maiestatem, et dignitatem eloquentia valeat explicare. Natura suę industrię non oblita, in earum fabricam machinata est, ut illarum ope, ad omnes usus, faciles redderentur. Mira est earum aptitudo ad omnem motum nullo labore facilis. Numerosa est artium multitudo, quam huius membri

adiumento addiscimus, et exercemus. Adest pingendi, fingendi, et exculpendi ars notabilissima, musicorum organorum scientissima contrectatio, ac penè diuina. Elegans domorum sublimitas, urbiu(m) structura praestantissima, agrorum cultus, quo tantis ad uitam necessarijs utimur, ne dicam uictum, et indumentoru(m) uarietatem. Manibus terrae uiscera penetramus, pretiosam metallorum mercem eruentes, solo aequantur montes, admittuntur maria et expelluntur certis limitibus, et uelut praescriptis legibus, ne ultra fluant cogimus. Penetramus aquarum uim, piscium multitudinem nobis uendicantes. Bestiae omnes terrestres, aquaticae, et uolatiles, quae mundi uastitatem complectuntur, manuum solertia nostri fiunt iuris. Quid illa scribendi maiestas? quae omnium rerum scientiam nobis comparat, uetustatem propagat, nihil sinit interire. Aquarum dominatur laxitati, ac ultro, citroq(ue) ab uniuersis mundi partibus merces dimittimus ac reuocamus. Tandem nihil est in rerum natura, quod nostris manibus non succumbat. Ausim dicere, seiunctis manibus, non inermes modo futuros, sed brutis infeliciores, et rationis usum (cæleste munus) mancum et orbum fore, et omni opere destitutum, et tristem. Maiores nostri rationis et sapientiae ministras esse manus pronunciarunt. Unde non iniuria tantarum rerum ministras manus, ac corporis usui deseruientes, nobiliori temperamento totius corporis donauit, excepto eo, quod in digitorum extremis uisitur, et praesertim indicis. Galenus manuum temperamentum inter omnes extremitates mediae sinceritatis, idest calidum, frigidum humidum et siccum habere dixit, unde

ex omnibus corporis partibus, ex manus dignotione hominis temperamentum precisius assequimur, utpote ex subtilioribus spiritibus, et elegantioribus humoribus constitute, sic et intellectus prestantiam. Unde illud Philosophi, molles carne apti mente. Et Isidorus manus dictas ait, quod sint totius corporis munus, quemadmodum à nobis in humana Physiognomonia exactius pertractatum est. In hoc igitur maximo Dei artificio, nil temere confictum, aut delineatum imaginandum est, nec tubercula, et manus scissuras, ad manus et digitorum flexus, et commoditates famulantes affictas, sine quibus suis muneribus fungi non posset (ut quidam sciolj garriunt) nam si id verum esset, omnium hominum manuum lineamenta, et tubercula eodem modo effigiata essent, nec in singulis diversa, idemque reliquorum animalium specierum manibus accideret. Sed quemadmodum in singulis hominibus mores, ita et scissure, et montium apices variantur. Non casu igitur, et temerè, sed stato Nature ordine, rata lege, et certissima ratione delineate sunt manus in homine animalium prestantissimo, et in solius hominis manibus cernuntur omnia, que in omnium animalium generibus particularim conspiciuntur, utpote qui omnium animalium mores possideat, ut aliàs diximus.
Et iam diu à mundi exordio prestantes ingenio virj doctissimè pronunciarunt, lineas has≠ce celestes, et naturales esse signaturas, in quibus sydera suas influentias con≠tinent. Meminere huius artis prestantissimi Phylosophi, Aristoteles, Plinius, Albertus, Conciliator, et alij eorum sequaces, ut suis in locis uberius demonstrabitur.

De manus partibus. Cap. 2

Nunc manus partes subsignabimus, ut que scripturi sumus, promptius intelligantur. Pars manus media, que cymbe, vel scaphe modo caua

est, et carnosa, vola dicitur. Manus, cum aperta est, palma dicitur, ab expansis palmę ramis. Digiti sunt quinque, pars eorum quę se inflectit, nodus dicitur, quę rigida constat, internodium. Tres sunt singulis digitis articuli, soli maiori duo, qui pollex appellatur, eo quod inter cęteros virtute polleat, et potestate. Secundus index et salutaris, quia eo ferè ostendimus, et salutamus. Tertius medius quia ęqualiter ab extremis distat, vel impudicus, quod plerumque per eum probri insectatio exprimitur. Quartus annularis, eo quod in ipso annuli gestentur. Narrat Macrobius in libris anatomicorum tradi, nervum quendam de corde natum prorsum pergere adusque digitum manus sinistrę minimo proximum, et illic desinere implicatum cęteris eiusdem digiti nervis. Auricularis quintus dicitur, pro eo quod aures scalpimus. Inter volam et carpum, metacarpum interiacet, vel pecten. Subest carpus, nos brachiale vocamus. Avicenna et Arabes Rascettam dicunt, quę velut manus basis substrata est, pars superior digiti dicuntur.



De causis huius scientię. Cap. 3.

Vulgares, et imperiti isti Chyromantę pro rationibus huius scientię, non nisi experientias adducunt, quod linea pollicem in prima iunctura circueat, et colli precisionem diiudicet, non aliam causam dicunt, nisi quod in omnibus, qui laqueo finierunt vitam hanc lineam in pollicis prima iunctura respicerunt. sed experientia sine ratione manca est, et si experientia sit artium omniũ fundamentum, tamen sine ratione claudicat. Nos autem huius artis rationes et fundamenta, non alia putamus, quam quę ex Aristotele, Platone, Adamantio, et Polemone, cęterisq Grecis et Latinis, et Arabibus in humana Physiognomonia recensuimus. Hi enim ex animalium partibus, quibus cum humanis intercedebat similitudo inditia contraxerant. Ex animalium enim pedibus, qui cum hominum manibus aliquam similitudinem habent, coniecturas capiemus. Quamplurima sunt animalia, quę manus, pedesue scissuris intersectas habent, ut simia, cercopitecus, cynocephalus, histrix, et similia, alias clare apparentes, alias proportionale quodam ex simile exprimentes, ut in processu conspicietur. Vidimus in humana Physiognomonia leonem frontem habere quadratum, in medio subconcauã, et animal fortissimum, magnanimũ et liberale esse, et inde coniiciebamus homines quadratã, et subconcauam frontes habentes esse fortes, magnanimos, et ad eius similitudinem liberales. Nos in hac arte simias et cercopitecos seu eiusdem generis animalia tuberculum sub pollice scissuris intercisum et decussatum habere, et eadem animalia maxime esse luxuriosa, ob id quoscunq homines idem tuberculum, eodem modo oblique, et transuerse implicatum habentes uidere licuit, eiusmodi mores

possidere ~~probantur. Demonstravimus in humana Physiognomonia~~
luxuriæ esse obnoxios coniecimus. Syllogismum, quo eiusmodi demo-
strationes probantur, demonstravimus in humana Physiognomonia,
Hec obliviscemur naturales passim causas interserere ex elementorũ
qualitatibus, humido, frigido, calido, et sicco, quemadmodum, et in
humana, et in cælesti fecimus.

De septem tuberculis. Cap. 4.

Sed antequam ulterius progrediamur, in manibus montes determinare
oportet, ex quibus magna coniecturarum pars pendet. Hos internã
manum sedem in septem partes distribuemus. Huius partitionis ratio-
nem iam iam explicabo, quinque ad digitorum radices accumbentes
montes sunt, sextus ad carpum, postremus è regione auricularis.
Has prominulas partes, montes, sive tubercula, omnes, qui nos
antecesserunt, vocarunt, et illos septem planetis ascripserunt.
Hos à digitis incipiemus.



Primus sub pollice assurgit, secundus sub indice expergiscitur, tertius medio subiacet, quartus annulari, quintus auriculari, sextus in tarso, septimus sub auriculari. Hi montes in meta formam, quasi monticuli, uel tubercula è manus plano assurgunt, quorum aliqui super alios procerius eminent, et supercilia eleuant, alij humilius deprimuntur, ne dicam abscedunt, alij mediocres se habent. qui elatius se erigit, insignioribus notis exculptus, et coloratior, physici luxuriantis Naturę sublime donum dicunt, et ubi Naturę studium, et operositatem, et industriam ostendere placuit, ibi illius propensionem contemplari licebit, quasi digito commonstrantis gloriam, honorem, pompam, opulentiam, et alia fortunę blandimeta polliceri. Contra, quibus subsident montes, et insigniter humiliantur, nec notis decorantur, ibi deficientis Naturę opus ostenditur, paupertates, miserię, et infelicia euenta. quibus uerò mediocriter se habent, mediam inter utrosque fortunam sortientur. Sed ad naturales causas deducere placet. qui calida, et humida complexione uigent, quia pinguiusculi sunt, in manu partes, siue tubercula pinguiuscula habent, et eleuata, et in hoc optimo corporis temperamento optimi mores sequuntur, optimi mores nobilium, magnatum, et Principum familiaritates conciliant, unde opes, fortunę, et magistratus. qui uerò sicca temperie donati, gracili, et exigui corporis, unde humiles, et subsidentes monticuli, et eiusmodi temperaturam mali mores consectantur, ex quibus animorum, amicorum, et bonorum carentia subsequitur.

De Veneris monte. Cap. 5.

Empyrici in montium constitutione inter se digladiantur, nam alij Solis montem Iovis uocant, et Saturni, Mercurij, et Mercurij Solis, et cum inter se non consentent, quae ueritas in eorum libris reperiri poterit, cum omnia sine disciplina, et ratione tractent. Nos montium rationes assignabimus, et primo à Veneris tuberculo incipiemus. Pollici primo manus digito Veneris mons subiacet, cuius limites sunt ab interstitio indicis et pollicis, quae eponitur linea ambiens circum ipsum usque ad carpum, hoc Veneri subijciemus. Ratio nos admonet, quod luxoriosissima animalia partem hanc inter caeteras elatam superciliu habent, et uarijs lineis interseptam, et decussatam. Animalia, quae eiusmodi tuberculum in uertice subreptum habent, sunt simiae, cercopitheci, cynocephali, et similia, et haec eadem luxoriosissima sunt. Simiae manus, digitos, unguesque homini similes habent, pedibus, ut manibus utuntur, inflectuntque perinde ac manus, easdemque scissuris exaratas habent, ut homo. Scribit Aelianus, simias in urbem non adduci, quod sint libidinis inflammatae, et in muliebrem sexum furiant. Idem Cynocephalos tradit ad uenerea opera ardentes, et uenereo complexu cum mulieribus iungi, etiam pudendi tractatione salacitate manustrupantes. Naturalem enim rationem addemus, eos, qui eiusmodi locum elenatum habent, et rubicundum, calidae et humidae complexionis esse, et qui eiusmodi complexionem sortiuntur, uenerei, et luxuriosissimi sunt. Nos eorum icones apponimus, ut doceant, demonstrentque potius, quam delectent.





De monte Iouis. Cap. 6.

Prope pollicem, uel quod ab eo immediate subsequitur tuberculũ, Mons Iouis est, et ita in manu montium propinquitas, ut in sphaeris uicinia, et in honoribus et donis Iuppiter, et Venus assimilantur, ut alibi descripsimus, Nos hac ratione ducti montem hunc Iouium appellauimus, cum uideremus Iouia animalia hoc tuberculum insigniter sublime habere, ut in aquila uidere est, alite Ioui dicato, in cuius pede mons pollici proximus tumidior ceteris apparet. Lucianus, et Oppianus Ioui aquilam sacram dicunt, primo, quod Ioui aduersus Titanes proficiscenti, ut Lactantius scribit, in auspiciũ uolauit. secundo dum Saturnum bello superauit, hinc pro bono omine suę tutelę ascripsit, Tertio cum Gigantibus praelio dimicanti tela subministrasse narratur, quarto Aquilę assumpta figura Naxum petijt, et ob obsequij memoriam quod Ganimedem, quem ardenter deperibat, pocillatorem in celum rapuerit. Sed ueritas est, ut aquila inter aues principatũ obtinet,

ita

Ita Iuppiter inter planetas. A fulmine nata est, nam cum altissime sublimat, nubibus serius, ut Apuleius ait, supra secundam aeris regionem, ultra spatium illud, quo pluit, et ningit, ubi nec fulmini nec fulguri locus est, immanis evadit. Aristoteles. volat sublimius, ut quam longissimo dissidet intervallo, eam non conspiciant, qua de re solam auium omnium aquilam diuinam perhibet. Aquilarum mores. Polita, apta, intrepida, strenua, liberalis, non inuida, nó querulans, non clangens, modesta, regios mores, et regiam maiestatem proferens. Iouem hos mores largiri dicunt Astrologi. Quid enim aquila honoratius? Unde qui tuber hoc elatum, et bene figuratum habent, aquilae instar, eiusmodi mores possident, et exinde regiam fortunam, qui autem depressius, his omnibus contraria. Eius pedé figuratum apponimus, ne oculatum, et sedulum lectorem lateat.



De monte solari. Cap. 7.

Subiacet medio digito tuberculum, quod soli damus, ratione ducti, quod in leone, gallo, accipitribus, aliisq; animalibus solaribus in altum maxime exuberat, et ferè maiorem partem manus occupat. Leo

ut Sol, calidum animal, et siccum, ualido est pectore, sed posterioribus partibus degenerat æquè ac sol, qui prima diei parte ad Meridiem usq. uigore increscit, uel in prima anni parte, uere, et æstate, mox elanguescens deducitur ad occasum, et hyemem. Idem splendentibus igneis, et patentibus oculis cernitur semper, ut Sol. Gallus gallinaceus solare animal solus uolucrum cœlum crebrò aspicit, in sublime quoq. caudam falcatam erigens, oriens sol ipsum nunq. fallit, uehementissimam uocem intendens, semet cantando uincere conatur. Gallus Auram clara consuevit uoce uocare.
Cum sole et iubarum, idem q. uenientem solatur cantu. Leo, et gallus eiusdem solaris uirtutis pro sua natura particeps. Sed Gallus à Leone timetur, et quasi colitur. Cuius causam Proclus, in libello de mysterijs, et Magia à materia sensiue assignare non posset, sed solum à superni ordinis contemplatione, quoniam potentia solaris uirtutis conuenit gallo, magis quàm leoni. Quod et inde apparet, quod gallus quasi quibusdam hymnis surgenti, applaudit soli, et quasi aduocat, quando ex Antipodibus medio cœlo ad nos deflectitur. Michael Ermus dat talpam soli, à quo habere dixit acutum uisum. Sed uidetur incredibile, quod experientia cognoscitur habere minimis undiq. pilis coopertos, ne à terra lædantur, in qua continuo habitant. Aegyptij soli accepitrem ferunt. Primò quod instar solis cuncta fouet, ac generat insigni fœcunditate sua solis quoddammodo perpetuitatem æmulatur. Secundò quod sicut sol suo lumine mundum illustrat, ita accipiter uisus acie clarissima, et oculorum splendore eximio præditus est. Tertio sui uolatus pernicitate, etiam solem imitatur, qui singula quoq. die immensa primi mobilis spatia conficit, et quotannis

Zodiacum peragit. Solarem putant Aegyptij, quod eius substantia ex sanguine, et spiritu constet, Dicuntq Phoebum antiqui, propter varias formas, quas diversarum amore impulsus induisse fertur. Sed accipitris speciem saepius, cum Apolline etiam convenientiam habere dicunt, quod soli de avibus semper nullo negotio adversus Solis radios intuentur, nec intentis oculis sursum versus iter suscipere gravantur, nec divina flamma offenduntur. Viri igitur, quibus in altum extumuerit pars medio subiacens, ac bene signata, eisdem moribus pollent, quibus Sol, quos Astrologorum libri narrant, nos paulo inferius subiecturi.

Ad meliorem usum, et maiorem explicationem leonis, Galli, et accipitris manus subsignavimus.



De saturnio monte. Cap. 8.

Sole enarrato, proximus videtur saturnus aggrediendus. Post medium digitum annularis subsequitur, qui Saturni tuberculo

imminet, ita depresso, ut vix ab alijs internoscatur. Quod is mons
saturnius sit, apparet, quod tristia, melancholica, et saturnia ani-
malia satis tubreptum hunc, et insignem habent. Saturnia autem
animalia ferè omnia, quæ sub terris, vel arborum cavis habitant, non
ineptè arbitramur, ut histrix, erinaceus, glis, testudo, lacerta, et similia.
Histrix anteriores pedes taxi habet, posteriores humanis similes,
quatuor mensibus se abscondit, æstate latet, hyeme è cavernis pro-
dit. Echinus, sive erinaceus conditur hyeme sub arborum cavis
ubi, pomis per æstatem congestis vescitur. Glis latet in arboribus
hyeme, pinguescit quam vehementer, et in sylvis fodit profundas foveas,
et lignis, et palea, et terra cooperit. Lacerta nomen inde adepta,
quod hyeme lateat, vel minimum à similitudine lacertorum
hominis, quod pedes earum similiter in digitos, tarso è vola, aut
palma finduntur, et in obliquum flectuntur, et ad latera, eo modo
quo homo manum flectit, et quadrupes graditur, cavernas subire,
et in sepulchris habitare tradit Aristoteles, et veterum ædificiorum
foraminibus, ibi quatuor menses habitat, interea nil comedens.
Sufficit hic monticulus, ut paulisper à manus sede elevetur,
et designatus sit, si, quæ Saturnus bona pollicetur, consequaturus
sit.

Ne difficilis sermo sine exemplo futurus sit,
picturas singulas apposuimus.





De Mercurij monte. Cap. 9.

Sub appendicibus minimi, uel auricularis digiti stratus est Mercurius. Animalia loquacia, canora, quę ingenij industrięq; pręstantia humano intellectui proxima sunt, hunc verticem insigniter eleuatum possident, uelutj psitaci, picę, uulpis, corui, et eiusmodi ingeniosa animalia, versicoloria, ut Mercurius. Psitaco lingua lata multoq; latior, quam cęteris animalibus data est, ut articulata verba loquatur, et eum antropoglosson dicunt, quasi humana lingua proferentem. Inter aues ingenio, et sagacitate pręstat, discit non solum loqui, sed meditari, memorię particeps, admoto speculo propria forma delectatur, nunc gaudenti, nunc dolenti similis efficitur, gaudetq; puerorum conuersatione. Picę lata lingua, ut cuiq; generi, quod humanum sermonem imitatur. Auis garrula sagax, hominis vocem ęmulans.

Pica loquax uarias modulatur gutture voces
Scurrili strepitu quicquid et audit, ait.

adamant verba, quę loquuntur, nec dicunt tantum, sed diligunt, meditantes quę intra semet cura et contemplatione, non occultant intentionem.
Vulpes, callidum animal, cavernis suis plura faciunt foramina, et multifores aditus, ut minus facilè à venatoribus illaqueari possint.
Qui eam manus partem turgentem habent, eorundem animalium mores possident, et accidentia.

Icones psittaci, picę et vulpis apposuimus, ut earum in pedibus exuberationem partium diligens lector non ignoret.





De Martio monte. Cap. 10.

È regione auricularis digiti sub Mercurij monte, pars illa exuberans, propè manus dorsum residens, è regione pollicis montis, ut natura est inter eos benevolentia, ita et proximas accipiant sibi sedes.
Nos meliori experientia destituti cogimur hanc sedem Marti dare, quem locum propter partium robustitatem et plagarum violentiam

Martis nomen meretur, si enim aliquem pugno ferire uolumus, tota hac parte in corporis percutimus, lanceas, gladios, pugiones fortissime stringimus, carne enim, ossibus, et neruis aptè constat. Robustissima et bellicosissima animalia hanc sedem tumidiorem habent. Unde canes, leones, equi, et tauri in medio ungularum hanc partem celsiorem habent propè carpum. Equus Marti immolatur ex Festo, uel quod bello aptus est, et martium animal. Lacones equos Marti immolabant, Deo scilicet fortissimo ualidissimam uictimam; Mineruam bellorum Deam Hippiam, quasi equestrem uocabant. Canis calidi, et sicci temperamenti, ut Mars, pedes priores quinis distributos digitis habet, ut leones, et lupi. Leones natura calidissimi, et audaces, et feroces, et iracundi, et si soli dicauimus ob mores, Marti ob ferociam, et fortitudinem dicamus.

Canis, et leonis simulachrū pedum tradimus

canis



De monte lunari. Cap. ij

Utpote planetarum ultima, ita in manu parte ima propè bracchiale magnam partem sibi substraxit in montem Lunae: et lunaria animalia hanc partem in verticem attollunt, aquatilia animalia et nocturna, et quae lunae vices sentiunt, veluti noctuae, bubones, testudines, cati, caprae, et eiusmodi noctivaga, et lucifuga animalia. Cato ut lunaris, comitiali morbo afficitur lunaribus incrementis, oculos habens grandiores. Aegyptii oculorum eius pupillas ad quotidiana luminum incrementa, decrementaque augeri, minuique testati sunt. Nec id tantum, sed noctu etiam in tenebris, syderis modo illius oculi lucent, et quod maximum est fertilem, et vegetabilē lunae naturam sua foecunditate exaequat. Noctua noctivaga, cum oculi interdiu hebetes, in cavernis, locisque desertis habitat, et tenebrosis, hominum frequentiam evitant, noctis monstrum noctua, à noctis tempore dicta, quo canit, et volat, et quò fuerit obscurior nox, eò crebrius volans experet inoffensos, interdiu occaecatur. Vespertilio nomen habet, quod vesperi, et noctu volare soleat, noctu videt, et interdiu ferè nihil. Quorum omnium icones spectandos proponimus. Igitur in quorum manibus insignius inarticulantur montes, optimisque scissuris celantur, atque insculpuntur, lunarium virtutum participes fiunt.

noctuę bubonis, cati.





De manu saturninam, et melancholicam comple-
xionem indicante. Cap. 12

Iam satis, superq; de manus montibus euagati sumus, operęprecium me facturum iudico, si singulas indicabimus, quibus planetarię manus cognoscantur, non enim parum ad prognostica conducit. Si ex ipsarum aspectu, montium, et linearum, quę saturninę, uel iouię sint, dignoscantur. Hęc à sciolis, et empyricis chyromantibus non enarrantur, ut pote qui falsis principijs, et inanibus rationibus innixi sunt, quę autem nos prodimus, non nisi phylosophicis, medicis, et naturalibus rationibus demonstramus. Sed à saturnina manu incipiemus. Fęlicis Saturni manus angusta est, et cum digitis longis, sicca cute obducta, coloris fusci, glosa, nervosa, ipsis'q; neruis et ossibus apparentibus. Concomitatur niger carnis aspectus, et capillorum durior, coniunctorum super ciliorum, complexionis frigidę, et siccę, eius mons elatus, decen-

tibus lineis insculptus. Mores. Sunt ambitiosi, subitani honoribus,
boni consilij, multi cibi, pauci potus, aquosorum locorum incolae,
iniuriae laboriosae, assiduis laboribus implicati, stabilis amicitiae, ini-
micitiae que, indagantes occulta secreta, ingeniosi, contemplantes
severi, et pauci risus. Simiae manus saturninae sunt, graciles
angustae, durae, hispidae, nigrae ex croceo, nervosae, ossosae, incisurae
non ea conspicuae sunt ex tarso subeuntes, in saturnium tuberculum
derivant, et profundae.

In hac figura utrasque manus expressimus, prius
humana, postmodum simiae cernatur.



Infelicis saturni manus ossosa, macra, nervosa, brevis, dura, ni-
gra contorta, et male formata. Concomitatur aspectus turpis
et terribilis, horribilisque: color niger ad croceum tendens, ocu-
lis parvis, maculosis, hispidis, nigroque capillitio. Mores. vilis, nimis
sese praestans aliis, timidus, invidus, incognitus, se ipsum consulens,
maesta loca inhabitans, amicorum proditor, hominum osor, austerus,

nigra vestimenta induens, comedens et bibens multum, perfidus suspiciosus, et perversę opinionis. Morbi. Ex malignis humoribus, eructationibus, flatibus, et quartanis obnoxius, pedum, et manuũ crepaturis, hircino odore alarum, fędus facie et vita, et reliqua quę celestis physiognomię libro diximus. Cercopiteci manus infęlicem Saturnum referre videntur. Cercopitecum, quasi degenerē simiam dicas, obid degeneres mores, et fortunam in eis cernimus. Animalia saturnina sunt nigra, et quę hyeme in latebris vivunt, cavis arborum, et speluncis, quasi in carceribus, obid saturnini carceribus omnino semper obnoxij sunt.

Tabellam concinnavimus in qua saturninā manuũ compegimus, indicaturi similitudinē cum cercopitecis, et noctuis.



De manu iovia. Cap. 13.

Iovia manus alba, ex roseo colore decora, nec pinguis, nec macra, nec longa nec brevis, nec mollis nec dura, velantur nervi, et ossa neq elata, neq depressa, oculis magnis, pulchris, pupillis lari,

medio tamen modo inter extrema se habentibus, aspectu iucundo, formoso, et venerabili, sicut Veneris, in hoc discrepans, quod magis ad virilem habitudinem declinat, capillo flavo, modice crispo. Mores. magni animi, magna appetens, plus largitur, quam habet, in ratiocinationibus imperiosus, nobilis, graviosus, honestus, mundus, levis, plurimum comedens, simplex, et qui benefacere semper optet. Uxores et filios amore prosequetur, multorum filiorum, benignus, iustus honorans senes, amans amicorum, legaleius, ponens pacem inter litigantes, veridicus, boni intellectus, religiosus, complexione calidus, et humidus, et qui dignitates facile consequatur. Hos aquilae manibus assimilamus, quae montem sub indice convenienter sublatum habet, et unguiculis exporrectum

Subiecta tabella humanam et aquilinam manum refert.



At si infelix Iuppiter fuerit, erit manus minuscula, alba, et mons Iouis subsidit, male lineis exaratus, caput caluum, capilli recti, Mores ignobiliores destructor bonorum irreligiosus, timidus et non mansuetus, uilipendens uiros, nec conseruans eos, simulatis operationibus, non bonis inclinatus, ab amicorum et filiorum amore alienus, infidus, malus, ignauus, et propensione temperamenti praui. Inde morbi, ex peripneumonia, hemorrhoe, pleuritide, conuulsione, gonorrhea, leui quaque occasione e naso sanguis excernitur.

Ex ignobili aquilarum familia, Nibri, et ossifragi hic manus imitamur.





De manu Martia. Cap. 14.

Mons martis in mediocri corpore magnus sunt, uinculare, dure, ossee, neruose, aspera cute obducte, neruis et ossibus superstantibus, coloris rubri crocei, aspectus ruber et croceus, et sic color capillorum, et pilorum crisporum cruentus, mons eleuatus, et magnus latitudine

patulus, et bene signatus. Animalia martia, canis, ursus, equus, taurus, et cetera pugnantia, robusta sunt, calide et sicce complexionis. Mores. Solent iniusti esse, et qui nullis rationibus subiugari possint, uiolenti audaces, periculosi, uoraces, omnes honores sibi arrogantes, inimici uxoribus, et filijs, alieni cupidi, suorum bonorum dissipatores. Eorum operatio ex ferro, et igne.

Equi, tauri, et ursi pedes apposuimus.



Insplicit Martis manus coloris rubij arcei, lentiginesque granorum rubeorum multitudine maculosa, carne dura, sicca, concaua, uirua mons eius subostratus, et male signatus, uultu rubicundo, et naso quasi infecto hepatico colore, oculis paruis, collo in sinistra parte rubro, signo signato, aspectu terribili, habens in pede sinistro maculam, corpus curuum. Mores. Amator caedis, uenator ferarum, depredator uiarum, praeceps, iracundus, inhumanus, impietati, periurijs, et temerarijs actionibus inclinatus. Eius san-

guinaria exercitia. Peregrinationes amabit, in quibus varij casus labores, et angustię, et contumelia, alta voce, et minaciter loquens, crebris rixis molestus, unde ni rationis frenum violentijs imponat, periculum ut decapitetur, aut comburatur, incurret.

Custodis canis, et vilis et hominis subiecta tabella cape icones.



De manu solari. Cap. 15.

Solares manus felices, sunt pingues et corpulentę, coloris albi, benè compositę, vultu pulchro, oculis magnis prominentibus, pulchra et plena barba, et capillis coloris flavi, ore rotundo. Mons eius medio digito substratus, sed apice conspicuus, bene signatus. Mores. Superbi spiritus, fidelis, inflatus, sapiens, humanus iustus, qui parentes amat, auget divitias suas, cordatus, honestus, clemens, alienus ab uxore, et filijs, affabilis, boni consilij, unde facile honores omnes, dignitates, magistratus, ac etiam principatus, et regna aliquando consequi poterit, non multis cibis,

largus et beneficus. Solaria animalia sunt gallus, et accipiter, unde hic

Galli indij, et accipitris cum humanis manus inspice.



Infelix sol manus crassas, breves, et male compositas habet, coloris croci. Mores. Ambitiosi, honorum cupidi. Morbi ex igne, et febribus comburentibus. Mors in peregrinis locis, et ex calida intemperie subita, et fortasse violenta, et morbi comedentes carnem, habebit oculos impeditos, caecus, strabus, et debilis visus. Mons depressus et male signatus. Aves solares infelices sunt, ex nobilibus degeneres astures, vultures, buteones et qui falsa similitudine degeneres accipitres referunt. Vultur cadaverum affectator, magnitudine, vigore, colore, et forma ab aquila degenerat. Ex accipitribus tinnunculus degener accipiter: nam rapax et bellicosus sed reptilibus et insectis ut plurimum vivens, muribus et serpentibus

tibus. Buteo deses et segnis, non validus, sed vanis infestus, vermibus insidiator, prę da aliquando vivit, velalijs excidente, vel derelicta, degener accipiter.

Tinnunculi, buteonis, et hominis manus habes.



De manu Venerea. ~~Cap. 16.~~ seu venereanm complexionē indicante. Cap. 16.

Nunc faciem, quę veneris complexioni respondere videtur, in manu repręsentabimus, mollis delicata, pulchra, plena colore albo et rubro commixta, venusto decore ornata, rotunda, blanda, et bene composita, sine venis, venis et ossibus apparentibus, et nisi fęminea pulchritudo, et mollities intercederet, ipsa Iovis videretur, ita forma habitu, cęterisq; partibus Iovem adunguem exprimit. Pollicis mons elevatus, et bene incisus. Corpus dat longum, oculos gratos et venustos, splendore insignes, capillos crispos et molliter inflexos, vultu, à quo oīs decor, omnisq; venustas

uidentur. Vestimenta nitida aurata, colorataque, subtilium superciliorum et labiorum, facie carnosa, pectoris angusti, crassarum crurum, ludens oculis suis, incedendo melior se gerens. Si signus in eius monte ostendetur, vigorem radicalis humidi denotabit, et faecunditatem in prole procreanda. Idem in pedibus considerandum, ex paribus observantis, et luxuriosi, et faecundi sunt. Mores. Erit uir mansuetus bone cogitationis, abhorrens rixas, scit saltare, canere, et ab omnibus diligi satagit, comis, et assiduo luxui uacans, libidinosus, zelotypus amator pulchrorum magisteriorum, benefactor, obediens mulieribus amicabilis in ius, optimus amicus, potu multo gaudens pauci cibi, ardenti libidine laborans, amans ludos, iocos, uersus cantilenas, conuiuia, ientationes, propagando generi indulgens. Animalia similes montes possidentia sunt perdices, coturnices, et similia



Venus infelix facit manus non tam venustas, mons eius depressus, et male signatus, similis simię, et cercopiteco. Morbos dat in genitalibus, mortem gloriosam decernit, gonorrheam, obstructiones renum, vesicę et uteri, et pudendorũ dolorem, luxuriantes assiduè, et sine intermissione, manstrupationibus, et illicitę Veneri inclinatos, cum infœlicibus fœminis tractantes, et turpibus, adulteria, et omnia illicita diligentes, et quę de infelici Ioue diximus, idem de infœlici Venere dicendum.

Simię et cercopitecii manus inspice icones.



De manu mercuriali. Cap. 17

Mercurius dat manus modicè graciles cum digitis longis, cum articulis generosis, bene compositis coloris mellei, mons claro capillo superbus, optimis notis insignitus, cum cingulo Veneris, pręcipuè si orientalis, et fœlix fuerit Mercurius. Ex digitis animum inge-

miositas cognoscitur. Plinius de picarum genere scribit, facile discere sermones, quibus quini sunt in pede digiti. Solinus et Apuleius inter nobiles, ignobiles et plebeos picas discretionem digitorum facere numerum, qui prestant, quinos in pede habent digitos, ceteri ternos. Vultus coloris mellei, uel pallidi, moderate corpus quantitatis, mediocrium capillorum, paruorum oculorum, et pulchrorum, minutorum dentium, corpus gracile, anguste frontis, coniunctorum superciliorum, rare barbe, incessu minutorum passuum, facies longa, nasus longus, mobilia labia, uultu puerile quoddam referente, Mores. Cir- cabilis intellectus, et cogitationis, diligens lucrari, et mercimonia, bene ratiocinatur, et loquitur, amator scientiarum, et precipue mathematicarum, scrutator secretorum, cordatus, multa discens, modestus, multi cibi, et potus, erit aptus legationibus obeundis, orator grammaticus, et omnis philosophie deditus, in negotiis sollicitus, ab omni uoluptate sepositus, soli sibi uacans, commixte nature, et eius, cum quo commiscetur participans, auguriis, futurorum prognosticis se applicans. Animalia ingeniosa et loquacia sunt Mercurialia, ut pica, psitacus luscinia, et similia. Luscinia diebus ac noctibus garrula, sine intermissione cantus, tanta uox in tam paruo corpusculo, tam pertinax spiritus, inde in una perfecta musice scientia modulatus editur sonus, et nunc continuato spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur exciso, copulatur intorto, promittitur reuocato, infuscatur ex inopinato, interdum et secum ipsa murmurat, planum grauem acutum, crebrum, extensum, ubi uisum est, sonum in breuis

summum, medium, et cetera.

Subsequens tabella hominis, pici, psittaci et luscinie manus picturas excipit, sibi mutuo correspondentes.



At infelix Mercurius, manus macilenta, senilis, mons leniusculé et difficile sursum fertur. Mores. fraudulentus, loquax, nitens aliis suadere, que ipse non credit, stultus, et manualibus artibus dans operam, et obscuris, et illicitis, multa simulans, pravi ingenij, semper in chymeris versans, et vanis cogitationibus. Aves loquaces, et obstreperes eiusmodi manus possident.

Tabella hec compingitur ex loquacibus, et obstreperis avibus.

De manu lunari. Cap. 18.

Lunares manus sunt pingues, molles, rotundæ, albæ, digiti grossi et breves, cum motu languido, et dissoluto, maculis notatæ, facie rotunda, statura brevi, et carnulenta, oculis non ex toto magnis, corpus albis maculis conspersum, oculo contorto vel strabo. Mores. Instabilis propositi, qui varijs rebus delectatur, qui semper peregrinari inutiliter concupiscit, ad mulieres sunt inclinati, multo comedentes, sed non digerentes ob nimiam frigiditatẽ, ad generationem impotentes, aquaticas negotiationes quærentes. Mulieres honestæ sunt. Mons in ima manus sede repositus, pinnato ubere prominens, et gibboso, atque primam manus regionẽ in longum latitudine perreptat, bene signatus.


Antris, vanæ pedes, humanis hic respondentes habet.

lunaris manus.



Infelix Luna homines nullius utilitatis producit, instabiles, in vero infelices, timidos, segnes, ignavos. Mons in longum subsidet, cui infelices notę implantantur, et tanto nocturnę aves diurnis meritò cędunt, quanto lux tenebris nobilior. Morbi sunt, qui maculis tum corpus reddunt, et malignis ulceribus deformant, ut lepra. Facit etiã epilepticos, et paralyticos, et impedimentis oculis officit. Animalia noctivaga, et lucifuga lunaria sunt, bubo, noctua, ulula nycticorax.

Noctivagarũ, et lucifugarum avium manus delineatę cum humanis comparandę, bubonis, ululę et nicticoracis.



IOAN. BAPTISTAE PORTAE NEAPOL.

De ea Physiognomoniae parte, quae ad manus spectat.

LIBER SECUNDUS.

PROOEMIUM.

De manuum partibus ac tuberculis, nec non de manibus, quae cuiusque planetae qualitates, et complexiones indicare uidentur, praecedenti libro utcunque disseruimus. Nunc ad magis singularia descendentes, de incisuris manibus insculptis uerba faciemus.

Quam inaniter circulatores empyrici, de lineatis et illineatis manibus diiudicent. Cap. 1.

De lineatis, et illineatis manibus scripturi, non nisi operaepretium fuerit scire, quid impostores, et empirici isti chiromantae de his senserint, ut facilius ueritas cognoscatur, et mendatia pessundentur. Inquiunt ergo isti. Qui lineatas manus, et nimio linearum numerorum perplexas habuerint, hi omnium calamitatum pleni, ac uitiorum, uitam aerumnosam, et calamitosam ducent, longis, et inutiliter itineribus fatigati, carceribus uel diu detenti, uel in eis uitam finient, insani, inconstantes, et tandem omnibus exosi. Contra autem, qui manus nullis lineis distinctas habent, omnium felicitatum pleni, uitam uoluptuosam, otiosam, et locupletem ducent, commoditatum omnium plenam, magistratibus conspicui, muneribus donati et sine labore et fastidio uitam finient, illam saturninam hanc iouiam dicunt, sed ut omnia sine authoritate, aut ratione

dicunt, ita vana ridicula, et mendacia sunt, nec meminerunt, quod in libris Physiognomoniæ Aristoteles, Polemon, et Adamantius scripserint, extrema omnia mala esse, nam virtus in medio consistit, et sicut lineatissimas, sic nudissimas vitiosas esse indicandas, nunc videamus quid de his statuendum.

Quid lineatæ, vel illineatæ manus significent. Cap. 2

Manuum igitur historia in universum expedita, nunc obiter de particulari disseremus, et primum occurrit, quid illineatæ manus vel multis lineis obsitæ significent, non enim singulis hominibus æquè apparent: nam aliquibus sine aliquo earum contextu prorsus eis destituuntur, alijs verò varijs, multiplicibus scatent. Videtur autem ubi natura incisurarum multitudini non pepercerit, operosam, et non segnem sedulitatem ibi ostendere, in manibus verò omnibus notis destitutis, socordis, et minus satagentis industriæ fuisse, nec minus in corpore, quam in animo indicandum conijcimus, nam ubi plus sectionum plus ingenij, ubi minus plus ruditatis, et imperitiæ. Plinius de fitis loquens, ubi semi digiti plus ingenij, ubi minus plus vecordiæ, et dedisentiæ. Sunt enim ut digiti in manibus, ita et in unoquoque sede incisuræ. Physici eo siccitate lineas et rugas evenire dicunt, si animo non expenderint, quæ et ipsi diximus in humana physiognomonia, ex Aristotelis, Polemonis et Adamantij doctrina. In fronte rugas ex melancholia prosapiæ, vel siccitate, obid rugosas, et strigosas facies, cogitabundos, ingeniosos, tristes severos, et à curis semotum hominem designare. Qui humida sunt complexione, leves, et sine lineis manus habent, vel paucis

distinctas, ut pueri. sed ubi calor advenerit, cum siccitate intermixti destruit humidum, quo oblito, cutis in rugas contrahitur, Corium humidum planum est extensumque, at si à calido aduri contingerit, crispatur in rugas, si accesserit humiditas, explicantur rugae. Crudus later levis est, ubi fornaci traditur, igne in rugas contrahitur. Vide arbores adolescentes, nitida cute vivunt, senescentes corrugantur, unde linearis contextus ex siccitate potius, quam ex humiditate provenit, et unde ramo arboris, et de frusto carnis de tota arbore et carne, ita et de manu, de toto corpore indicium capiemus. Simia, Rhasi authore, frigida et sicca sunt, ideo manus et pedes multiplici incisurarum complexu despinguntur, viri, quam mulieres manus magis incisas habent, unde ex sententia dixerim quorum manus raris quarum incisurarum offuscantur, et adeo simul intermiscentur, ut velut rete efforment, soleriis ingenii esse, qui minus quam pauci signantur, rudes, et ingenii tarditate hebetes, ut in rusticorum, et nebulonum manibus videre est.

Quae ex manibus, dextra vel sinistra inspicienda sit, et quae in viris, quae in mulieribus contra empyricos. Cap. 3.

Empirici manus inspectores sanciunt, ut qui interdiu nati sunt, dextra inspicienda sit, qui vero nocte, sinistra, idemque in mulieribus et viris sentiunt. Corbus, Tricassius, et Cocles solum experientia ducti. Sed id contra rationem et experientiam dixerunt. Summus Peripateticorum princeps primo de Animalium historia libro Cap. 15. dextram hominis partem robustiorem nasci, sinistram imbecilliorem ait, sed quae robustior calidior est, delicatior vero humidias,

sequitur ergo ex his, que ante sensimus, ubi plus siccitatis, vel caliditatis, ibi plus incisurarum, ubi plus humiditatis, minor earum implexio. ob id, omni post habita ratione dextra semper inspicienda esset. Sed quia dextera manu in omnibus armorum, artium, et quorumcunque exercitiorum muneribus aptis pro bello ab incunabulis utimur, et continua, et integra attrectatione rerum, manus cutis callosior, durior, et asperior evadit, et ex cutis asperitate obliterantur qualescunque note, ut in fossorum, et remigantium manibus videre est, ob id viris sinistra potius inspicienda venit, ubi omni amoto impedimento, signa omnia magis elaborata, et conspicua cernentur. At femine quia omni exercitio immunes, non nisi acus, et digitorum ministerio dant operam, earum dextra inspicienda esset. Preterea cum dies nocte calidior sit, sicciorque, qui interdiu nascuntur, tum temporis, tum loci caliditate adeo flexus, et reflexus, et obliqui manuum ductus implicantur, et in unum adeo commiscentur, ut nulla in dextra ratio haberi possit, ob id in viris dextra inspicienda est. Mulieres vero cum tot linearum acervos in manibus se ita insinuantes non habeant, qui per volam difundantur, dextera enim in illis inspicienda est. He sunt rationes quas recentiores attestantur utra manus cernenda fuerit. Nos autem hec disquisitio maxime latuit post multam experientiam meam tamen sententiam subdere non pepercero. Dicimus igitur utramque manum in utroque sexu semper esse inspiciendam: nam plerumque note, que in una adsunt, in altera desiderantur, et quandoque eedem in utraque conspiciuntur, ubi maxima nature sedulitas commendanda est: nam ubi malum aliquod, vel bonum molitur, utramque manum suis signis

illud significantibus, eadem multitudine, ordine, situ, numero et characteribus sculpsit, quasi certius, firmiusq hominem commoneret, ut cautius in altero praecauendo, vel complectendo se gerat. At ubi signa in una desunt, in altera conspiciuntur, facilius evitare, vel consequi poterit, ut si in periculum inciderit, innoxius evadat, veluti experientia saepissime cum ratione concomitans me certiorem reddidit.

Plantae pedum lineamenta inspicienda esse, et obiter de pedum coniecturis. Cap. 4.

Non solum quos diximus in dextra, sinistraue varij complexus inspiciendi erunt, sed plantarum pedum quae scissurae contemplandae sunt, quod nebulones isti chyromantae contempserunt, quae inspectio non minimam nobis opem tulit. Nam Galenus 2º. commentario in Hippocratis librum de fracturis scribit, pedum et manus eadem esse ossa et partes. Nos manuum et pedum lineamenta inter se discrepare non cognovimus, mirifica naturae benignitate, ut si casu aliquo in manu signa obliterentur, ut igne saepissime factum novimus, in pedum vestigijs conservarentur, et saepissime in manibus aliqua deerant, quae in plantis videbantur, et e contra. Unde non incongrue iubemus pedum vestigia inspicienda, hoc tamen discrimine, quod pedum longitudo diversa et digitorum, et montium, et calcanei, ubi nullae implantantur scissurae, nam cum pedibus tota corporis moles suffulciatur, et continuo ambulationibus atterantur, occalluit cutis, et omnia obliterabantur, solum in pedum cavitate

seu cymba conspicuum aliquid, quo pedum vestigia terræ non
innituntur. Pedis tarsus carpi vicem gerit. Quando igitur inspiciendæ
erunt plantæ, mane antequam lecto surgat, calida aqua pedes foveat,
ibique immoretur, ubi remollitur cutis, abstergatur panno, more
strigili, vel pumice expoliatur cutis, et sic clarius incisuræ eminis-
scentes emergunt. Utriusque specimen adducimus, ut eorum dispositiones
considerentur.

Hanc figuram apponi, ut manus et pedes in prospectum
veniant, eandem speciem referentes.





De nota, quæ corporis symmetriam universim indicat
et constitutionem vitalem. Cap. 5.

Idem more Philosophus animalium historia earundem simul naturalis
et vitalis in figurarum verba facit. Est enim vitalis, quæ pollicis
montem circumambiens, et ad ima decumbens id brachiale porri-
gitur

gitur, vitalem dicunt, quod ea vitae vices gerere videatur. De
vola Philosophus verba faciens ait. Pars manus interior vola
dicitur, carnosa est, scissuris vitae indicibus distributa longioris
vitae bini ductus per totam, brevioris quae numquam totam longitu-
dinem excurrant. Quasi dicat. Binae sunt lineae, ab interspinio +
indicis et pollicis coeuntes, quarum altera pollicem circumplectens
ad ima carpi descendit, altera per mediam manus longitudi-
nem deorsum fertur, quae si longae, profundae, coloratae, aliisque qua-
litatibus insignitae, longam vitam denunciant, contra exiles,
excolores, languidaeque vitae brevitatem. Sed si quae superius diximus
vera sunt, quemadmodum assignata ratione consecuti sumus
ex iis, tanquam consectarium sequitur, quod diligentius earum linearum
amplitudo, exilitas, infractio, distractio, color inflexus, reflexusque
animadvertendus erit: nam si satis magnifice crassescant, et nimis
insigniter incisae, claraeque, infractae, perpetuoque cursu pertinaciter
per longum iter ferantur, vitae robustitatem, longevitatemque indi-
cant. Contra si latitudine destitutae, quo plus imbecillae, et
invalidae, ut toto earum decursu interturbatae, vel tortuosae
aboleantur, oblitterenturque, languidae, et consenescentis vitae nun-
tiae existunt. Color porro maxime observandus venit: nam op-
timus censendus est rubescens, qui vero pallore suffusus lan-
guorem patefacit. Quis enim ambigit bonum colorem exoptima

corporis temperie provenire. Deficiente enim pallore, ac rubedine aliquid intemperiei deesse, vel superesse significatur. Insuper observasse procul dubio non obfuerit, si initio, medio, et fine hae obfuerint, du[m] consueti iter obibunt, si dehiscunt illae, vel abscedunt, si intercidantur, si lato, profundoque intervallo diducantur, vel ad epilinad declinabunt: nam morbos, vel vitae abreptionem in pueritia iuventute, vel in senectute denunciabunt, sed animadversione dignum est, harum quarundam exordium esse, ubi naturalis cum vitali coit, mediam iuxta volam, calcem vero illarum circa carpum: non enim hi abscessus, et colores ex naturae ofi[…]tia provenimunt, ut videatur in earum efformatione obdormivisse; vel haec ex prosperitatis corporis beneficio vel affecta virtute in radice provenire censendum est, quod singulis his sinatim dominatur. Etiam animadvertendum admodum duximus vitae lineam non solam singularem, sed aliquando geminam videri, quam consortiam coniugem, et consortem appellare solemus, quia sua circumactu vitali famulatur, quae naturae validitatem, et vegetalis virtutis superabundantiam ostendunt, nec solum vitae incolumitatem, sed intemperantem luxuriam designare solent. Haec enim vitia plerumque ex superflua, et valida virtute, et roboris abundantia solent prosilire. Nec observasse poenitebit, si ramulus per longitudinem manus exporrectam dextrum recta feratur, vel sinistrorsum

inclinetur

inclinetur, quasi curua et gibba in manus cauitatem procumbuerit, hic optimus censendus est progressus: nam si ad dorsum ex imbecillitate cubit, breuem uitam uel molestam, aliis signis concomitantibus, declarabit.

Figuram adiecimus: nam iis quę dicta sunt, intelligendis non mediocriter confert.

De Mensali linea. Cap. 6

In Aristotelis problematum commentariis Conciliator philosophus binis lineis ab Aristotele recensitis, duas alias addit, mẽsalem et stomachi, Mensalis lineę progressus est a radice montis auricularis per mediam manus regionem excurrens ad supercilium indicis montis peruenit, mensalis dicta, quod per mensã, seu uolę planum suum iter conficiat, quod si talis se gesserit, prouidum et audacem uirum patefacit, nec egregiam animi, et corporis constitutionem ostendet, et si quidem carnuerit notis

quas superioribus bonis aliis ascripsimus, ea eueniunt, quae aliis euenire diximus. At si ortus initio quamplurimae lineolae eam sciderint, rebribus rixis, iurgiis, et uulneribus obnoxium, et praesertim in fronte pronunciantur. sed si longe à suo fine separatur, et interstitium indicis, et medii subibit, uentris fluxum passurus, ad discrimen neque uitae, nonnulli uulnerum, iisdem de causis confessionibus obiecit dicunt. Conciliatur ab experientia se didicisse fatetur, Naturalis haec causa uidetur. Caloris est manus relaxare, et in longum porrigere, frigidi coarctare, et contrahere, progressus hic ad summum indicis pertingens, caloris et bilis abundantiam innuit, quibus saepissime exagitari homines, uulneribus ab inimicis confossi pereunt, ut diximus in Physiognomonicis, ueluti homicidae crudeles, et proditores.

Ad mensalem, quae praesenti capite pertractatur ostendendam, potissimum haec inseruit figura.

De stomachi linea, sive de manus triangulo.
Cap. 7.

Tribus iam recensitis incisuris, quartam addimus, quae à neotericis stomachi dicitur, quasi stomachi qualitatem ostendat. Haec à brachiali suum ducit initium, in quo cum vitali coit, ex eius coitu sursum se erigens, quoad cum naturali, quae obliquo flexu incurvatur, committitur, et cruciformem figuram exprimat, à lata enim basi alijs substrata, cum suis coniugibus lateribus, quasi semirotundis deorsum, et sinistrorsum exurgens, in prominentem mucronem desinit, sic triangulum intersepiunt, quod et manus triangulum dicitur. Sed interim conciliatorem in commentarijs Aristotelis de hoc disserentem audiamus. Si haec linea triangulum intersepiens, rata serie, constitutioneque aequilaterum efficiat, longaevum fidelem amicabilem, et famosum ostendet. Sed si nimis cohaereant latera, et in mucronibus secludantur, relaxenturque, et anguli deliquescant, stultum hominem et luxuriosum praesignabunt, rationem naturalem subiungens experientiae ex naturali temperie. Nam eiusmodi productionibus per mediam manus sedem extensis, materies indicatur, quae manus, et universum corpus constitutum fuerit, quae satis superque digesta, ratum semper, et uniformem illam extensionem à formatrice virtute insigniter famulante receperit. Non enim exigui est negotij, partes à corde tam dissitas, distractasque erigere, et dirigere, magnamque esse potentiam supra cor necesse est, et supra alia primaria viscera, ex quibus universae vitae

-catiuntur influxus, quod manus tam insigniter cordi respondent, et coaptentur. Est enim cor primarie functionis author, et sunt primum in cordis substantia eiusmodi delineationes, explicatiores, que in omnibus cernuntur, et articulatiora hominum corda, et maxime sciencium animalium sunt, inarticulata vero, et inexcaspta, rudium et veluti porcorum, ut in anatomicis dissectionibus videre est. Cum ergo in media manus regione natura eiusmodi labori pepercerit, vel bine tantum languide, et insperspicue, vel etiam singulares apparuerint ibi scissure, non optimum immunite generationis principium, sed humorem indigestum, interminatam que virtutem in formatione non adiuvantem, sed resistentem, et internam manus sedem insculpere, et inarticulare prorsus non habilem, et talis indigestus humor putrescens, vite periodum absumit. Albertus eadem fere refert, libro de animalium historia, et ego ad horum declarationem hec afferam. Si vitalis a montis pollicis supercilio ad devexiorem carpi partem declinabit, et naturalis ab eadem sede recto tramite per mediam regionem ad auricularis montis radicem terminabitur, et stomachi linea a brachiali ad auricularem se porriget, eadem serie, et ordine efformate, signum est ab optima efformatrice virtute formatas, et si tam longe a corde suo principio distantes, signis designantur, argumentum perhibent, quod si propinquius forent, abundantius multo supra vitam influerent, que supernaturalis abundantia vivere, et bene vivere per longioris temporis continuatione

significabit. Contra autem ubi bina, et breves fuerint, materiem innuunt ex inordinato, et interminato humore profectam super formatricem virtutem, et sic periculum ne cito vita in nihilum abeat, et humore illo putrescente ne saltem decurtetur aliquatenus.

Triangulum in manus medio sculptum
hac figura spectatur.

Angusta, vel lata manus mensa quid significet. Cap. 8.

Digladiantur inter se impostores isti, quid angusta, vel lata manus mensa portendat, et in varias abeunt sententias, utpote qui res sine ratione et fundamento doceant. Nos autem dicimus. Manus internam regionem duas habere cesuras transversim vagantes, et à superiore parte montis montem intersepientes, et in imo deorsum se diffundentes, easque mensalem, et naturalem diximus vocari. Ita internum manus sedem secorum dividit, deductoque à mensali nomine, mensam vocant, quam si plus visto distantem, vel angustam obtineaveris, lata vel angusta mensa dicenda. Huius functio est, avaritiam, prodigalitatem, aut magni-

ficentiam indicare, quippe si in amplitudinem expandatur, prodigalitas, si arctius, avaritiam, medio vero modo se habens, in largiendo mediocritatem. Sed prius naturalem rationem auspicemur, in mentem revoca, quae in humana Physiognomonia diximus, et ut promptius ea recorderis, in compendium redigam. Relaxare, et diducere calor, et humor opifices sunt, frigus et siccitas constringere, et coarctare. Cui humida et calida constant corporis temperies, latam habent manus mensam, qui frigida, et sicca, angustissimam, ut in melancholicorum manibus videre est. Porro frigiditati, et siccitati comes est avaritia, et calori, et humori liberalitas, temperata igitur mensalis diductio temperatum hominem in dando demonstrat. Ex his quasi consectarium sequitur. Si prope apicem indicis tuberculi linearis latitudo inventa fuerit, fore liberalitatem in iuventute, si in eius medio in virilitate, si vero prope dorsum manus, in senectute. Contra autem de angustia secundum situm indicabis.

Hac figura in mensa manus indicanda iampridem usi sumus.

De mensali linea recta mediam manum pertranseunte. Cap. 9.

Postquam Mensalis narrationem orsi sumus, antequam eius prognosticis coronidem imponamus, unum recensebimus, quod non saepe inse-quenter occurrere poterit. Cum igitur mensalem istam per mediam volam subeuntem cum vitali consortium inire inveneris, et naturalis nusquam apparebit, extrema omnia indicat, modo alia signa concomitentur. Inordinata enim eiusmodi constitutio, Naturae defectum, et humorum intemperantiam arguit, unde non bene moratae, et inordinatae vitae fiunt viri, praecipites, violenti, et iniuriosi, unde ex illo humorum incomposito furore, non raro periculum laquei, vel gladij illis imminere poterit. Et si ad animalia referre licet, gallinae, pulli, indici, perdices, ficedulae, et aliae edules aves adamussim transversum hunc mensalis processum, et vitalem attingentem habent, cum omnes iugulati, contortis, et excisis cervicibus pereant. Memini praeteritis annis, cum Neapolitanos carceres inviserem, loco, ubi plerique morte damnati detinebantur, inter eos senem fuisse, qui cum puer esset, in ignem cecidit, et se ab igne manibus defendendo, ignis pellem, et lineas omnes manus abolevit, solus mutuus amborum, mensalis scilicet, et vitalis congressus remanserant, solo Dei beneficio, et ab hac infelici morte, animum rationis ope, a pravis operibus coercendo, praecaveret, quod cum is minime fecisset, difficile ei fore pronunciavi, ut laqueum averteret, quoniam primum paucis post diebus suspendio eum interire vidi.

De figura cingulum effingente, quę venereas solet qualitates indicare. Cap. 10.

Neoterici figuram, quę ab indicis, seu medij interstitio ad annularis, seu auricularis medium flexuoso meatu serpit, veneris cinguli nomen posuerunt. Ratio nominis fuit, quia quasi cingulum venes, sic et hęc digitos sinuosa sui cavitate pręcingens videtur, et quia eadem luxuriam etiam demonstrat, veneris eam nomine dehonestarunt. Hęc nota, quia pariter per tuberis Mercurij apicem se explicans, eius montem intercipit, non solu luxuriam demonstrandi munere fungitur, sed et ingenium, et viri eiusmodi nota insigniti, luxuriosi, et ingeniosi existimandi sunt. Rationem ex animalibus capiemus, quę ingeniosa pariter et luxuriosa sunt, ut simię, cercopitecii, et similia, quę manibus pedibusq hac linea non vacant

Linea se obliquans binos solis, et Mercurij montes intercipiens, in simia et cercopiteco hac figura ostenditur.


De incisura saturnina. Cap. 4.


Dum superius saturninum montem recensebamus, de eius
etiam incisura relatum est, quę à sinistriore parte base exur-
gens per mediam utrobique volę regionem ducitur ad radicem
medij tuberculi digiti, saturninęque nomen adepta est, quia satur-
ninum, malevolum, et molestum hominem designat, quę sequun-
tur eiusmodi virum, solent esse carceres, odia occulta, hęredi-
tates, et similia, quę libro de cęlesti physiognomia diximus.
Si ad animalia referre licet, simię, cercopiteci, cynocephali
et quę in cavis arborum, et foraminibus murorum, et montium
sub terra hyeme latent, quę omnia animalia in manibus sa-
turninam lineam habent. Videlicet lacertę, glires, testudines
quę carceres secum ducunt, ut domiportę, et subternis hyeme la-
teant.

Simię, cercopiteci, lacertę testudinis manus cum
saturnina contemplare.









De circulari cęsura primum pollicis internodiū ambiente. Cap. 12.

Scissura primam pollicis iuncturam circumiens, colli gassiones naturę quodam ordine repręsentare videtur, si enim aliqua parte intercisa appareat, capitis stillicidij obnoxios, et suffocationis periculo subiectos indicat, et ego intercisam hanc figuram in prima pollicis iunctura gero, cum stella tamen vicina, et stillicidio laboro, et orthopnęa, ut sępissime pene suffocer. Si vero suis extremitatibus sit contigua, ut videatur circulus adaptatus, vel annulus, si modo alię coniecturę, et signa non reluctarint, sed conspiraverint, gutturis ab anginis compressionem, vel ut malis evenire solet, à laqueo, vel violento aliquo modo mortem minatur. Aliquādo non omni ex parte ambit, sed parum abest quin claudat, et tunc periculum tantum ostendit, quod vitari poterit, ut meis temporibus accidit, qui cum suspendium amico minitarer, eumq adhortarer, ut recte vivendo, et à facinoribus abstinendo

illud auerteret, ad furcas tandem suo merito deductus, dū scalā subiret, principum supplicatu, gratiam recepit. Hic anulum aliqua parte intercisum habebat. Nil mentiendum duxi. Hoc idem in pluribus experientia me cum rationibus uerum docuit. Aues omnes, quę eiusmodi plexu pollicis iuncturam incinctam habent, ut gallinacei, perdices, coturnices, ficedulę, anseres et similes iugulatę suffocatione pereunt. Hic idem plexus in simiis persępe uidetur, quę in aquam casu incidentes suffocantur, cum natare ignorent, cum contra cętera animalia sciant, ut Aristoteles in problematibus. Hic circulus (quod mirum uidetur) cū gutę passiones, uel stillicidia superuentura sunt, adeo iuncturam obstringit, ut pollicem dissecare uideatur.

Ut in conspectum quę diximus quouis modo ueniāt, pedum galli indici, perdicis, et coturnicis figuras subiunximus.



De intersecatione in media pollicis iunctura

Cap. 13.

Antequam à pollice discedamus, quid functionis et muneris consequatur scissura illa, quæ circumquaque secundam pollicis iuncturam perreptat, veluti semicingulum per internam circuli sedem præcingens, expendamus: nam non parum de ea inter imperitos, ob causarum imperitiam oritur dissensio. Dicunt enim cum cognatis, et parentibus stupra commissurum. Nobis verò videtur huiusmodi viros deperditæ honestatis et nefariæ luxuriæ obnoxios, et inclinatos esse pronunciandos, videlicet qui et agere, et qui muliebria pati oblectari possint, rationes, quæ me ad hoc conijciendum movent, sunt, quod iunctura hæc et pollicis tuberculi vicinia luxuriam ostendit, et vitiatæ in ea maximè intemperantem, et luxuriantem interpretantur, et qui madora, et effervescentia humorum undeat. Præterea aves et quadrupedes, quæ indistincta venere utuntur, ut à Philosopho describuntur, eiusmodi signo non vacant, ut sunt lepores, gallinacei, coturnices. Archelaus lepores scribit, et fæminas et mares esse, et ut masculus generet, ut fæmina pariat, androgyno, vel incerti generis esse. Clearchus scribit gallos gallinaceos, perdices, passeres, et coturnices, non modo cum videant fæminas semen emittere, sed etiam cum earum vocem, audiunt præ nimia libidine. Plinius perdices inter se dimicare desiderio fœminarum dicit, et victum venerem pati. Id quidem et coturnices Trogus, et gallinaceos aliquando. Aristoteles Gallinacei idem quod perdices faciunt, quando sine fæminis sunt, pugnant inter se, victumque semper subigit victor. Lepus etsi villosissimas manus habeat, depilata, iunctura separatam scissurâ retinet.

Leporis, perdicis, coturnicis, et gallinacei pedes insculptos habes.



lineamentum propagines sursum, deorsumque spectantes. Cap. 4.

Cum plerumque scissurae per manus separantes, sursum deorsumque dehiscent, etiam in ramos utrinque explicantur, considerandum est quid praesagiant. sed non oscitanter animaduertendum est in manu considerandas esse orientales, et occidentales partes, et superiores, et imas. In Astrologorum scholis traditum est orientales, et superiores partes, imis et occidentalibus fortunatiores esse. Nos si frontem septentrioni obvertimus, et internam sinistrae manus partem pectori obliquamus, digiti, vel superior pars orienti attingetur, tarsus, vel ima pars occidenti, ut nos fusius in coelesti physiognomonia 5. libro recensuimus, ibique rationes, et authoritates adduximus. unde sedulo scissurarum ductus inspiciendus venit. si ramulorum par coniugatus dextrorum, sinistrorumque

procreſserit, et si id sursum, maxima fortunæ blandimenta spondet, si deorsum detrimenta minatur, presertim in uitali processu. Naturalis ea ratio, quia superior pars manus calidior, et cum caloris munus sit alta petere, ex temperata caloris qualitate, quæ proveniant sepissime recitauimus.

Quantumuis hæc uerbis accuratior explicauerimus, haud prompte quis assequatur, nisi exemplum subdamus.



De notis et characteribus qui in manibus exculpti passim reperiuntur. Cap. 15.

Empyrici isti, qui semper sibi somnia fingunt et chimeras, credunt in manibus alphabetum, uel alphabeti literas aliquas conspici, et characteres uarios. Dij boni, quis unquam in manibus A B, F G hactenus uidit? fortasse oculi eorum alij à nostris oculis sunt, et manus eiusmodi characteribus insignitas apud Scithas, Lestrigones, chinenses, aut alias remotissimas regiones uiderunt, cum nunquam septuaginta annorum spatio tantam manuum multitudinem lustrauerim nihil uidere licuerit. Vident in manibus characteres

ut ij, qui in nubibus castra, equos, centauros, et sphinges vident. Sed quid in his veri reperire liceat, aperiemus. Cum sepissime in manuum apicibus, aliisue manus locis notas et lineamenta quedam innata reperies, stellas, vel cruces, vel alios characteres imitantes non solum celestium virtutes influxibus impressas, sed que etiam naturalium causarum concursu contingunt, operepretium nobis videtur, quid felicis eventus, vel infortunij portendant, accuratius expendere. Crucis character si Iouis tuberculi sedem occupat, atque aliarum notarum consortio, et clara illa, et nitida conspiciantur, certas omnis generis dignitates ostendit, etiam fortasse in ecclesiasticis officijs promotiones. Fuit enim semper antiquitus ante, et post christi tempora apud omnes nationes varijs locis crux venerabilis, et maxime dignitatis signum. Apud Aegyptios ante christum, tante fuit magnificentie, et authoritatis, ut domorum postes omnes huiusmodi charactere impressas ab exterminatoribus angelis desererentur, et si causas ignorarent. Apud eosdem future vite et beatissime testis existimabatur. Cum Theodosius Alexandrinus a Theodosio magno imperasset falsorum numinum fana deijci, Serapidis templum evertens, cum saxis Aegyptiorum literis crucis forma reperta est, quam cum grecorum proceres conspexissent, et intelligentes hyeroglyphico sensu futuram vitam designare christianam fidem omni devotione complexi sunt. Et apud Ruffinum Cedrenum, Zonaram, et Nicephorum testatum invenies. Post christum in celo apparens Constantino, Costantio, Honorio, et alijs multis, contra suos hostes victorie nuntia, ut apud Cedrenum

Curso palam uidere est. Si igitur sola crucis figura nunc usque locus contra caelorum minas, et terriculamenta tutus est, et dignitatis, et uictoriae et tranquillitatis nuntia, haud inepte arbitramur, cum in manu designata comperietur, multa nobis magnifica polliceri, et incolumem in malo alio minitante defensionem demonstrare. Sequitur stella, quae compar ferè cruci uidetur, quasi altera superaddita transuersim linea. Hoc mirabile sydus Magos longo itinere concomitans antecessisse semper scimus, uiam ostendens, qua ituri essent, ut quem natum Christum uenerarentur. Salutare quoque signum, quo dignitates, et [illegible] denunciantur. Aruspices signum prosperitatis uocabant, cuius ex apparitione Caesaribus uictoriam, et laetitiam portendebat. T. Thau signum erat etiam salutare, et cruci assimilatur Ezechielis testimonio. hoc signum supra dolentes, et gementes impressum si esset, manus uastatoris et exterminatoris euadebant. Apud Aegyptios nota quoque erat uenerationis: nam in breuiculis, ubi militum nomina annotata continebantur, T. Thau signum in uerticali capite positum superstitem designabat, ex Diodoro. Circuli, quasi dira sydera, et infausti cometae mortalibus pestem, morbos, bella, annonae caritatem, terraemotus, et insignium uirorum occubitus, ob id manibus contenti, uulnera, orbitates, et infestiua omnia significant, secundum locum ubi inueniuntur, ut rarissimè impunè cernantur. Semicirculus, quasi iridis speciem praefert, si unicus, tranquilli, et sereni aeris signum, si geminus, imbris copiosi. Pignus est et signaculum foederis inter Deum et hominem ictum. In manu inuentus, ob caeleste auspicium secundum loca, et situs, optima

ominatur

omnium videtur. Trigonum, quod Deum ostendat, omne boni in manu exculptum significare potest. Habet tres angulos mutuo invertextos, ut ab unitatis simplicitate, minime recedat, estque in eo tripartita ratio, denominata ab uno illo, quod ternum simul, et unum est, ut si hoc aequilaterum sit, at si scalenum quod sit, ab omni aequalitate remotum, et ab omni bono et aequo, non nisi damna et mala pronunciare potest.

Haec pauca, quoad tempus et res passa est obiter praemittimus si grata cognoverimus, tunc, post alii subsequentur libri.

105 DELLA PORTA (Giovanni Battista), the founder of the science of Physiognomy, the original Manuscript of his "De Re Naturalis Physiognomoniae Parte, que ad manuum lineas spectat, Libri Duo," quite complete, covering 63 pp. 4to, very neatly written and containing numerous remarkable drawings of hands, feet, claws, etc., by Porta himself, *bound in the original limp vellum* (SÆC. XVI)

*** A most valuable and extremely important Manuscript. It is one of the great writer's treatises on physiognomy, doubtless written by him for one of his noble patrons. Giovanni Battista Della Porta, the founder of the science of physiognomy, natural philosopher and mathematician, was born at Naples in 1540 and died in 1615.

Sotheby
March 1. 1917
"Other Properties"
no name
30.

S. de Ricci, "Census" vol. 2, 1937, p. 2228, says that our pr. ref. Sotheby, 1 Mar., 1917, n. 105 is "apparently incorrect". The old ac ession bk. (# 8283) ent it under 19 Mar., 1917, from Sotheby. No price entered (apparently £30

1938. W. W. F.

Quaritch's bill, found 1941, & inserted here, shows that we were correct.

BRITISH MUSEUM,
LONDON: W.C.

9. iii 1917

Dear Sir William

I do not think any of our Battista Porta MSS. have any claim to be autograph. The most interesting is the Metoposcopia, 22087, in which the same set of engraved heads is used for the two treatises: Cardanus, f. 1; and B. Porta, f. 100.

Yours sincerely

J. P. Gilson

ce of | Sotheby 1917
tu- | March 1.

S. de Ricci, "Census", vol. 2, 1937, p. 2228, says that our pr. ref. to Sotheby, 1 Mar., 1917, n. 105 is "apparently incorrect". The old accession bk. (# 8283) enters it under 19 Mar., 1917, as from Sotheby. No price is entered (apparently £30).

1938. W. W. F.

Quaritch's bill, found 1941, & inserted here, shows that we were correct.

Metoposcopia, 17th Cent. Ital.

Add. 22687, f. 100.

Compendium of the 20 books de Magia

ience of
Natu-
tat,

Sotheby 1917

S. de Ricci, "Census", vol. 2, 1937, p. 2228, says that our pr. ref. to Sotheby, 1 Mar., 1917, n. 105 is "apparently incorrect". The old accession bk. (# 8283) enters it under 19 Mar., 1917, as from Sotheby. No price is entered (apparently £30).

1938. W. W. F.

Quaritch's bill, found 1941, & inserted here, shows that we were correct.

Metoposcopia,
17th cent.
Ital.
Add. 22687, f. 100.

Compendium of the 20 books de Magia Naturali, in Spanish. The author's name appears to be Sam. de Palis. The book formerly belonged to Thomas Hearne.
16th cent.

Harley 3498.

S. de Ricci, "Census", vol. 2, 1937, p. 2228, says that our pr. ref. to Sotheby, 1 Mar., 1917, n. 105 is "apparently incorrect". The old accession bk. (# 8283) enters it under 19 Mar., 1917, as from Sotheby. No price is entered (apparently £30).

1938. W. W. F.

Quaritch's bill, found 1941, & inserted here, shows that we were correct.

B.M.

Porta (Johannes Baptista della).

—

Magia naturalis, 17th cent.

Sloane 2117, ff. 86b–94.

—

Magia naturalis, Book III., translated by F. O., 17th cent.

Sloane 3164, ff. 1–16b.

—

Selectiora ex ejus Magia naturali, ab H. Platt scripta, 17th cent.

Sloane 2203, ff. 100–102.

—

Quaedam ex ejus Magia naturali, 17th cent.

Sloane 3118, ff. 504–521b.

—

De quinta essentia vini, extracts 17th cent.

Sloane 3634, f. 72b.

—